FLAMMA VOTIVA:
QUAM IN FESTO JOHANNIS ET ONOMASMATE DOMINI ET VIRI

Magnifici, Nobilissimi, Amplissimi, Consultissimi

D O M I N I

JOHANNIS GODOFREDI ROESNERI,

Consulis optime meriti & p. t. Præsidis in Republica Thorunensi amplissimi,

PROTO-SCHOLARCHÆ

spectatissimi

PATRONI SUI AD URNAM USQVE DEVENERANDI

accendebat

Roesneriani nominis æternus cultor

JOHANNES HENRICUS AB HAUENSTEIN Eq. Lus.

Cand. Utr. Jur. & Hæreditar. Dn. a Schweidnitz.

T H O R U N I I
Impressit Joh. Nicolai NOBIL. SENAT. & GYMN. Typogr.
ANNO 1724.



JNter *Pierias haud ultima gloria Musas*
Inclyte Mæcenas, *quem pia Fama colit.*
O*mihi si vires aliquas mea Musa ministret*
Ut possim in certos cogere verba pedes!
H*æcce dies onomasma tulit solenne Johannis:*
Omnia festali lampade festa micant.
A*c simul est onomasma* Tuum perchare Patrone,
In cujus manibus spes mihi multa viret.
N*unc ideo celebranda puto tam candida festa,*
Cordibus in nostris concava templa struo.
N*ec minus in medium sacrans altaria pono,*
Sedulus inflammo candida thura precum.
E*ffigies celsis Tua stat suffulta columnis,*
Jaspide de rutila quam ferus Indus habet.
S*tat super hanc Pietas & cingit tempora sertis,*
Lætaq; dat fixo basia multa VIRO.

Grata

Grata ſuis tabulis ſculpſit TUA nomina Fama,
Ut bene conſervet Mnemoſinæque dedit.

Officioſa Themis crinesq; inſignis Apollo
Lætantur, votis pectora ſancta calent.

Debita Pympleades perſolvunt vota ſorores,
Carmina materia ſuppeditante canunt.

Omnis lætitia ſumma Parnaſſus abundat,
Pægaſei laticis fortior unda ſtrepit.

Fert Chloris nitidas vario de flore coronas,
Rite TUUM feſtum condecorare ſtudet.

Reflexis manibus durisq; ligata catenis
Perpetuo Erinnis carcere clauſa jacet.

Erigit auſtero pallentes lumine vultus,
Sed non queis poſſit lædere tela gerit.

Diva Minerva TUUM regimen docet, aptat & auget,
Eſt tanquam fratri ſemper amica TIBI.

Undiq; nunc ideo ſolennia Sacra locavi,
Sunt inſtructa ſatis pectoris antra mei.

Sic operæ pretium eſt fiam de jure Sacerdos
Ut cadat ante aras hoſtia noſtra Tuas.

Rumpo

Rumpo moras properans, Sacris accommodo mentem
Ordior a precibus quæ mea thura manent.
Omnipotens Rector qui splendida sidera coeli
Dirigit & servat quicquid in orbe viget:
Eximat infelix quæ fert fortuna periclis
Te, pia membra Domus, vel quod ubique Tuum est.
Serventur, faustusque Notus TUA vela secundet,
Non noceat gratæ Scylla nefanda rati.
Non vitiat Mortæ rabidum TUA membra venenum,
Curarum sudor non TUA corda coquat.
Exuperet nunquam TUA limina moesta cupressus,
Contegat usque TUUM laurus amæna caput.
Res Thorunnenses sub tanto Consule crescant,
Et turbet nunquam plebs malesana forum.
Urna TUOS cineres sero raptura paretur,
Non Lachesis rumpat stamina dira manus.
Sic sibi gratantur cives, sic turba clientum
Applaudit, gaudent Aoniæque. Vale.